



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Præfatio Q. D. B. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



# PRÆFATIO

Q. D. B. V.



Uum diu meditati fuerimus, Lector benevole, quâ methodo prò nostrâ virili novam hanc Bullarii mantissam ordiremur, tum quod præter eas, quas Cherubinus in unum corpus digesserat Constitutiones; aliæ insuper, & propè innumeræ sparsim undique reperirentur, tum quia permulta omnium retro Pontificum diplomata parum ad rem nostram, & institutum conducerent, quæque vel temporum injuriâ mutila, immò & vitiata comperiremus; sanè prior ratio eaque præcipua in operis vestibulo nobis restitit, quòd scilicet penè infinitas oculis lustraremus Romanorum Antistitum Constitutiones, quarum fœcundissima seges ad nostram usque ætatem adeò excrevit, ut nullam quam adoriremur viam invenire datum esset, & veluti ex Labyrinthio filo Ariadnes opus erat quod nos inde reduceret.

Hinc mediâ insistere viâ decrevimus, scilicet nec universas Constitutiones cumulatim digerendo, nec quibusdam Rempublicam fraudando; quamobrem quemadmodum Apes variis quidem floribus insidunt, ea tamen decerpunt tantum, quæ sibi ad opus profutura sunt, cætera prætermittunt, nos ex his aliquas tantum selegimus, utpotè digniores, quæ hominum singulorum meditationibus subjicerentur, eorum primùm, qui Cancellis circumscripti forensibus ut plurimum rerum retro-gestarum ignari rudi minervâ, quod aiunt, juri dant operam aliquot legum rubricis contenti. Neque est quod dicamus de hujusce operis utilitate. Nòrunt quippe omnes queis meliore luto finxit præcordia Titan, quantum Reipublicæ literariæ conducerent illustriora Antiquitatis monumenta tum profana, tum sacra, quæ quum sequioribus elapsis sæculis Homines, tanquam pro derelicto haberent, hinc foeda Barbaries inficetis sæculis oborta, & errorum veluti panspermia. Quamobrem doctissimi viri, ut tantæ fœditati obviam iretur, non renuerunt assiduos labores exantlare, inter quos *Miræus*, *Dacherius*, *Leibnitius*, *Ughellus*, *Martene*, *Rymer*, aliique, qui pro suo quisque ingenio omnibus prodesse conati sunt, & hanc pro-

provinciam aggredi non reuerunt, estque in iis, cur ei posteritas omnes gratias agat, & porro aget, dum aliquis honor erit litteris & bonis mentibus.

Multa profectò sunt, fatemur, amice Lector, quæ nobis vitio vertere possis, & primùm, quòd quædam Bullæ supersint adhuc, quas hoc in opere prætermisimus: at si penitiùs consideres, nihil est quod mireris; nam quùm tam vastum sit Litterarum Apostolicarum pelagus, & immane jam ad hæc usque tempora excreverit, haud tam facile foret eas in unum corpus congerere, quin magnam, immò ingentem composituræ fuissent Bibliothecam. Secundùm, quòd nullis sint divisæ paragraphis, nullis auctæ notis marginalibus. At neque est heic in scirpo, ut aiunt, quærendus nodus, neque enim adeò necessaria hæc sunt reputanda, tùm maximè quùm Index in Calce operis quascumque res veluti digito demonstrat; atque ut plurimum, quod vide-sis, Ecclesiasticorum monumentorum collectores ea omnia susque deque habuerunt. At si quis hæc nobis objicere jure posse credat, nos tamen non planè luisse operam existimabimus, si exemplo nostro veluti classico quodam, eruditos ad hæc expolienda, atque amplificanda, Juventutem ad hæc studia vehementiùs capessenda incitaverimus.

Sanè dignius erat notis historicis hæc paginas adornare, quod quidem quùm prolixior operam efflagitaret, ardua res erat, & impar viribus nostris: non enim perbreve tempus nobis concessum hoc permiserat. Quippè haud parum utilitatis huic operæ allaturæ erant, & perquam maximè si præter historias partim quoque jura gentium attigissent, & jura Ecclesiæ: habes nempè ob oculos quæ gesserant summi Romani Antistites, nedum quibus jura Ecclesiastica facta tecta seruarent, sed & quibus longiùs Ecclesiæ dilatarent pomœria quâ spiritualia, quâ temporalia, quâ quidem in re, quantum & virium nostrarum modulus potuit, in hoc genere præstitimus.

Hæc ergò sunt, quæ Præfationis loco communicanda tecum, Lector humanissime, arbitrati sumus, ut aliquid de ratione laboris nostri tibi constaret. Tuum nunc est piis votis gnavisque studiis huic nostræ operæ favere, ac optimè de te mereri cupientibus (quod ita esse tu jam judicare poteris) optima quæque vicissim à Deo precari; quò abs te impetrato abundè magnam nobis gratiam profitemur. Fortunet Deus Opt. Max. Vota tua; Vale interim, ac fruire.